

A

330  
—  
11

Josephus Hemery

Collectio  
minor  
Manuscriptorum historicorum.

Tomus XXVIII.


Contenta Tomi XXVIII.

- I. Petri Bod. Necessaria, et utilis scriptorum Historia Hun-  
garica Notitia, in qua Auctores veteres, ac recentiores, qui histo-  
riam Hungariae, ac Transilvaniae, integram, vel ex parte, civilem, aut  
ecclesiasticam adcurata, vel minus tradiderunt, cum ceteris ple-  
rumque recentioribus. — ~~—————~~
- II. ~~—————~~  
Mag. Maga gr. Kemény József történelme.
- III. — Josephi Benke. Synodi Ecdicidensis gemina, prior Generalis an-  
no 1545, altera Provincialis Anno 1555, a Protestantibus verbi Divini  
ministris in Ecdia Oppido Hungariae celebrata.  
p. Benke József tulajdon irásai
- IV. — Philippica Siculica, seu Compendium rerum gestarum In-  
clita Nationis Siculicae — usque ad An. 1571. — Auctore Mi-  
chaele Mikaloz.
- V. — Receptes Máté. — II József Császár' háromzesti utazása  
1775. — Leírta Receptes Máté, hárdi-váróhelyi ref. pap. —
- VI. — Teleki Mihály ' tulajdon Apologijája. 1676-1678.
- VII. Diarium expeditionis ad Comitata ex mandato Principis  
Francisci Rakoczi ad 28 martii 1707 M. Károlyhelyinam  
indicta, per Stephanum Tolvaci, Patrum Rakoczi, et Jose-  
phum Samsardi concipitum.



XXVIII n 3

SYNODI ERDÖDENSES<sup>I.</sup>  
SEMINATAE.



PRIOR

GENERALIS,

ANNO MDXLV.

---

ALTERA  
PARTIALIS  
ANNO MDLV.

---

A  
PROTESTANTIBVS  
VERBI DIVINI MINISTRIS  
IN ERDÖD,  
OPPIDO HUNGARIAE,  
CELEBRATAE.

ty

amy  
na.

Palfi  
Isa, m  
Keszey  
1711  
Vol. 100



2.

2. V. ODI ERDÖDESES

2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

TRIO

GENERALIS

Dulce est pro Patria mori,

sed

Dulcius pro eadem vivere.

PARTIALIS

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

A

PROTESTANTIBUS

IN ERDOD

OPPIO

OPPIO

3.  
GENERALIS  
SYNODVS ERDÖDENSIS,  
PRIMO OMNIVM  
IN INCLYTO  
HUNGARIAE REGNO  
A  
PROTESTANTIBUS  
VERBI DIVINI MINISTRIS  
ANNO MDXLV  
CELEBRATA;  
ATQUE  
CONFESSIO  
IBIDEM  
XII. ARTICVLIS CONCLVSA;  
NVNC PRIMVM  
PRAESENTI OPERI INSERTA,  
ET  
TYPIS EVVLSAJA,  
STVDIO  
JOSEPHI BENKÖ  
NOBILIS SICVLI KÖZÉP-AJTENSIS  
DE ARKOS.



CONSPECTVS OPERIS.

PRO GENERALI SYNODO

PROOEMIUM,

Quo Recitatur Occasio reper-  
tae Confessionis Erdödensis.

CAP. I.

De Loco Celebrationis Synodi,  
videlicet, ERDÖD Oppido.

CAP. II.

De Possessore Loci, atque Synodi  
Patrono.

CAP. III.

De Membris ipsius Synodi.

CAP. IV.

De CONFessione ejusdem,  
quæ etiam formalibus  
verbis exhibetur.

CONCLUSIO

DE SEQUELIS SYNODI.

PRO PARTIALI SYNODO.

PROOEMIUM.

et CAP. VNICVM.

Quo CONFESSIO traditur.

AVCTARIUM.

De Magnifica Drögfiörum Gente,

PROOEMIUM.

S. I.

Hæc CONFESSIO, quam luci  
 publicæ exponere intendimus, non ab  
 externis solum, sed etiam Hungaria Eru-  
 ditis, inter Uperdita habebatur, hodie-  
 que habetur: quum patriciæ Historiæ  
 Ecclesiasticæ Scriptores, Georgius HAN-  
NER, nempe, in Historia Ecclesiarum  
Transylvanicarum; FRANCISCUS Paris  
PAPAI in Rudere Redivivo; FRID. ADOL-  
PHUS LAMPE in Historia Ecclesie  
Reformate in Hungaria et Transyl-  
vania, a non integram ipsam Confes-  
 sionem, sed solummodo Articulorum  
 ejus synopsis, sive titulos, nobis trans-  
 miserint. Pervenit tamen sua in for-  
 ma integra ad nos; incidens fortuito  
 triginta

a. Tres hi cumprimis Auctores in hoc  
 Opere citabuntur; quorum postremus Paul-  
li Ember, V. D. Ministri Debrecinensis ce-  
 leberrimi laboribus maximam partem adju-  
 tus fuit.

O.

nte, 9



## PROOEMIUM.

triginta et duobus fere antehac annis,  
in meas saltem, si non etiam in igno-  
tas mihi hucusque manus aliorum.  
Et quidem hujusmodi occasione.

## S. II.

Dum in illustri, et apud nos, qui in  
Transilvania Helveticam sequimur  
Confessionem, primario Collegio Lit-  
terario Nagy-Enyedensi, inter Studio-  
sos Theologos agerem: mortem ibidem  
a. 1763 obeunte Reverendo admodum  
Viro, JOSEPHO DIÉNES HERMANYI,  
Oppidi ejusdem Enyed Pastore Prima-  
rio, Avunculo meo; quem non solus  
ego laudavi justissime. Transilvanie  
meae Tomo II; sed tota celebravit  
Patria; Libri ejus, præter varia Ma-  
nuscripta, publice Licitationi sunt  
expositi. Postremo itaque accidit,  
ut cumulus lacerorum Librorum,

Chartar

7.  
P R O O E M I U M.

Chartarumque simileum et fumo-  
farum venditioni subiceretur, in  
meamque deveniret possessionem.  
Sed, ha, ha he! quanta non modo ju-  
venum Amicorum, verum etiam Cla-  
rissimi ac Celeberrimi, dum vixit,  
MICHAELIS AJTAL, Histor. atque Lin-  
guarum Professoris irrisione; quod  
tantam supellectilem librariam, sci-  
licet, tanquam fuliginem exiguam  
pro grandi auro, in pignus, a vidua  
quadam Pastrice Ecclesiastica, Homol-  
laiana dicta, nuper Hermányio no-  
stro datam, pro peculio adeptus fue-  
rim. Sed haec amica derisio, tametsi  
fuisset quasi pipulus, poterat me  
movere nihil: sciebam enim jam,  
non semel me, cum pullo galinaceo,  
margaritam in sterquilinio reperisse.  
Neque nunc spes deseruit.

§. III.



## PROOEMIUM.

## S. III.

Paucis enim interpositis diebus, dum meam percenseo mentionem; in ea se mihi offert Codex in folio manuscriptus, membrana pergamena, litteris, uti vulgo vocantur, monasticis inscripta involutus atque 175 paginis (ut ut jam quasdam ex iis evulsas esse merito doleamus), ac per eas variis, ecclesiasticis potissimum, instructus Instrumentis. Quorum cetera omnia etiamsi nullius essent, sed sunt æquis rerum estimatoribus, utilitatis: solam Confessionem Erdo-  
densam pro maximo et rarissimo Volumine habendam esse, quis non censuerit? Ea vero Confessio unicam duntaxat in eo, videlicet, 90-nam paginam implevit: ast tam densis lineis, tamque minutulis characteribus, et abbreviatis vocibus, ut vix centesimus  
 recte

# PROOEMIUM.

9.

recte perlegere valeat. Et hoc puto  
in causa fuisse, quod laudatus Her-  
manyus, indefessus rerum scrutator,  
quia miops erat, rarum hocce Monu-  
mentum, cum reliquis libris atque  
chartis jam membratis, juxta po-  
sticum alterius sui hypocausti have-  
re permiserit.

## §. IV.

Ego vero Codicem memoratum, di-  
cta Confessione cumprimis insignem,  
quem nunc quoque possideo, peculia-  
ri meo Chartario inserui: est non  
diu ibi latere potuit. Non multo nam-  
que postea tempore, dum laudatus, et  
orbi erudito haud ignotus, Professor  
Ajtai, Historiam Hungariae ac Trans-  
silvaniae Ecclesiasticam publice no-  
bis tradendo, dolenter admodum qui-  
ritaretur, formalem Synodi Erdöden-  
sis Confessionem peritus occidisse;

finita



## PROOEMIUM.

finita ejus Professione, confestim  
 eum reverenter adivi, Confessionem  
 que supereffe integram oculis ejus  
 subjeci. Pape! quanta voluptate,  
 qua major esse non poterat, eam  
 quasi coelo delapsam, ipse excepit;  
 subindeque ejus indicem, vix non fra-  
 vio dato, iterum atque iterum collau-  
 davit: ipse, scilicet, qui antea Codi-  
 cem vili pretio comparanti, tremu-  
 lum naso crispante cachinnum ex-  
 hibuerat. Jussit etiam illico advoca-  
 ri Causidicum non ignobilem, lectio-  
 nis antiquorum scriptorum, ut pu-  
 tabat, scientem; qui Confessionis Copi-  
 am lectu facilem scriberet: quo id mi-  
 nime perficiente, ipse ego tria non  
 sine sudore exscripsi exempla; unum  
 pro eodem Professore, alterum pro Cele-  
 berrimo tunc Petro Bod, Eruditio sic  
 satis ex editis  suis Operibus noto, <sup>6</sup>  
pro

# PROOEMIUM.

pro usu meo tertium. Deinde igitur idem Historiarum Doctor Professionem revocavit; Confessionem publico in Auditorio latibundus prelegit; meque indicem, pro hoc, et monumentis cæteris, e memorata sæpius Collectione desumptis, laudibus supra meritum ornavit ac commendavit.

## §. V.

Ex his Hermanyanis, revera tamen, ut statim dicetur, Désianis reliquis, modo recensito tunc temporis per me publicatis, non multos quidem

h. Quonam hæc devenerint, vel perierint, haud scio: non ignoro tamen paucas quosdam alia ex his transcripsisse. Ex his, si non antiquius confectam, habet unum Rever. ac Clariss. SAMUEL BODOSI de Köpetz, Pastor Ecclesie Helv. Conf. Köborensis, Amicus et Compater precipuus; uti ex Litteris suis responsoriis nuper mihi innotuit.



## PROOEMIUM.

quidem, sed tamen tres saltem e  
 Studiosis nactus sum invidos, o-  
 sores atque rosos; qui successu  
 temporis videntes aliquantulam  
 meam in publicum bonum Patria  
 industriam, qua si juxta verba Ho-  
 ratii: ex fumo dare lucem cogitavi;  
 non erubuerunt ad aures aliorum  
 insusurrare, quaedam me meis ex O-  
 pusculis, publicam in lucem edita,  
 adjumento vitalorum Hermanniano.  
 rum exarasse. Hos ego nihil curo;  
 dum sciam scire Eruditos quosque,  
 res Historicas et Geographicas non  
 ita esse comparatas, ut ea ex ani-  
 mi meditationibus solitariis pro-  
 ficiscantur: sed ex aliorum scri-  
 ptis, fide dignis monumentis, at-  
 que autopsia desumi debent; quibus  
 profecto instrumentis mihi etiam  
 uti necesse fuit. Verum quod vel

tantoper

# PROOEMIUM.

13

tantopere auxilio Hermanyiano  
usus fuerim, mendacium est putidis-  
simum. Si quis contrarium sentiat,  
dum vivum me sciet, publice virus  
suum evomat, nec clanculum garru-  
at: mendacem eum, fallacem, vanum,  
ac aliorum industria invidentem,  
actutum, nulloque negotio ostendam.

Hermanyi estimator nemo est  
me severior; et certe multa ei me  
debere, in concinnandis praesertim  
Homiliis sacris, quarum artifex  
erat maximus, & gratus semper con-  
fiteor:

& Hoc profecto multi ejus Sacro-  
rum pro Concione Sermonum To-  
mi manuscripti testantur. Quoties un-  
que eum sciebant concionaturum; fre-  
quentiores, quam alias, adervant Cibes Op-  
pidani, juxta ac Lycei Eryedensis Studio-  
sa Juventus, ex qua Togati non pauci con-  
sueverant Sermones ejus calamis excipere.



## P R O E M I V M.

fiteor: sed in speciali Transilvania  
 Historia, Jure Publico, atque Geogra-  
 phia, nihilo me ei teneri, 1. Deus.  
 2. Conscientia, 3. Commenciam E-  
 pistolicum aliquot apud me Tomis,  
 quibus praesertim Responsoria  
 Eruditorum de diversissimis Patria  
 rebus continentur. Quot queso, non  
 habeo, habeoque hujus autoptes  
 gravissimos ex Eruditis patriis?  
 supra modum multos. 4. Res pluri-  
 ma et conversiones momentosa, quae  
 post mortem ejus in Transilvania  
 evenerunt. Et denique 5. ne plures  
 adducam, quicumque studia mea fir-  
 cere propiusque noscunt, testes sunt  
 luculentissimi. Quanquam enim  
 temeritatem, uti mihi quidem vide-  
 tur, saperet inconsideratissimam,  
 negare Eum, ceu Virum omnium  
 Scientiarum amantissimum, genera-  
 li

PROOEMIUM.

li horum etiam Objectorum idea  
 gavisum fuisse: verum specialissi-  
 me eorundem cognitioni tempus  
 non indulgisse; sed potius Asia, Afri-  
 ca, Americaeque res abstrusiones in-  
 vestigasse, testantur multa manu  
 ejus exarata Volumina; quae Zila-  
hini in Comitatu Szolnok Medi-  
 occri, apud Nepotes ejus, Nobiles Mo-  
haios, integre maximoque numero  
 adservantur. Vid. uberius Transfil-  
vania mea Tom. II.

Certe magnus ille Vir non plu-  
 ra, quam duo, reliquit Opuscula ma-  
 nuscripta, lingua hungarica concin-  
 nata; quibus res Transilvanicas  
 juvenili sua aetate, paucis paginis,  
 nec operose complexus fuerat, U-  
num De aliquot Superintendenti-  
 bus nostrae Confessionis; quod et si  
 quibusdam



## PROOEMIUM.

quibusdam non careat amoerita-  
 tibus: librum tamen famosum po-  
 tius, contra Scriptoris morem, quum  
 reticendas Sacrorum Virorum im-  
 becillitates & qualibus, maioribusque  
 veteres quoque Sancti laborarunt: ad  
 posteros transmisit, quam histori-  
 am, Lectorum omnium iudicio sapit.  
Alterum, brevis ad modum Continua-  
tionis Historia Illust. WOLFFGAN-  
GI de BEJHLEN, de Principibus se-  
 culi 17-mi; uti ipsemet sincere fate-  
 tur, d. potissimum ex autographa  
 Historia

d. Erat namque, Tozatus existens,  
 in Atheneo Eryedensi, (C. S. II.), In-  
 formator Illust. Domicelli LA DISLA  
KEMENY; videlicet, tunc Helveticam  
 Confessionem, postea vero Sacra Roma-  
 na professi; (de quo Comite Excellen-  
 tissimo, tamquam ad extremum Regio  
 Gubernat

# PROOEMIUM.

Historia Magnifici quondam JOANNIS KEMÉNY de Magyar Gyerő Monostor, ultimis vite annis Transilvaniae Principis, jam antea in captivitate sua Crimibensi conscripta, excerptum: quod Historia Bethleniana veteris editionis e. originaliter adrexi, in Bibliotheca Gymnasii Ref. Székely Udvarhelyensis (Areopolitani), inter Libros ab Ill. p. m. Comite LAD. SZÉKELY

De Bors-

Gubernatore Transilvaniae Excellentissimo, vid. Transilvania mea Tom. 1.): atque ita in Ill. Aula Keményiana datum ei perlegere fuerat laudatum autographum, mihi quoque pridem visum: quod nunc Ill. D. L. Baro SAM. KEMÉNY de M. Gy. Monostor, Incliti Comitatus Thordensis Comes Supremus, et Consiliarius Regius, Litterariis artibus in Patria, exterisque Academiis maxime imbutus, pro caro heredis tenet.

De veteri editione, sub finem seculi superioris interrupta, atque adeo valde magna manca, scripsi in Praefatione Tomi V., e reliquo Msto (una cum T. VI-to) nuper curis meis editi; quod Mstum

Continua-



## PROOEMIUM.

De Boros. Seno relicto's adseruatur. Scripsi hæc, non quasi obtrectatores curarem; sed quod hominis sit honesti, maculam vel ab impudente musca illatam abstergere. Ast jam meis apologeticis, quæ aures cordatorum Lectorum plus debito fatigarunt, tuto omisis; quod præsertim jam illi obesa naris homunciones, longe a me disiti, a Viris gravissimis de falsitate palam convicti latrare desierunt; ad rem redeamus.

## S. VI.

Laudatum adeoque (S. III. IV.) Codicem, e diversis monumentis collectum, debemus industria et manibus Rever. ac Clariss. dudum STEPHANI DESL; hominis, ut per traditionem accepi, verbisque Ciceronis

Continuationis nomine apud nostros vulgo veniebat. Nec hanc Continuationem, nec precipuas hunc in diem ineditas Historias patrias, uti sunt juratissimorum Auctorum: Szamosközû; Simigiani; Bojtini, Nikó, cet. quarum plerasque nostra etas prioribus longe curiosior, e scriniis in lucem protraxit, Doctiss. Hermannij cerneve potuerat.

## PROOEMIUM.

ceronis exprimam, grandi macie torridi  
 (Hung. igen ösztövére); sed multa eruditio-  
 ne robusti; quem Celebrem fuisse Virum,  
 vel inde judico, quod Simon Pechi (ho-  
 dierna orthographia Pécsi sive Pétoi),  
 Transilvaniæ Cancellarius maximi sua  
 ætate nominis, in quadam epistola apud  
 me adservata, amicum suum suaviter eum  
 nominet. Dignum adeoque videtur, ut in  
 hoc Opusculo, cui ipse ansam suspedita-  
 vit, quæ eum nobis reddent notio-  
 rem, ea paucis exponantur.

Fuit itaque Désius circa an. 1614,  
 Pastor Ecclesiæ Claudiopolitane, cum  
 Collega Luca Thraski; testibus litteris  
Joannis Batizi, Senioris Tractus Ma-  
rusiensis, 1. Julii an. 1614. ad eos datis.  
 Factus est tandem Albenois; Pécsius  
 enim Cancellarius, citatam epistolam,  
 a. 1618. d. 29. Julii ad eum exarata, sic  
 inscribat: Reverendissimo Domino  
Stephano Dési, Civitatis Albe Julie Con-  
cionatori



## PROOEMIUM.

cionatori, &c. Alba vero Devam ductum fuisse, ex ejus autographo disco. Anno 1619. autem Saxopolim (Hung. Szászváros;) vocatus et translatus fuit; ubi degens, Confessionem Eödödensem e quopiam exemplo transcripsit; hæc enim ad calcem ejus subnectit: 13. Junii 1624. trans. Saxopoli Stephanus Dési, Pastor Primarius, vulgo Plebanus.

Hic dum fungeretur, duobus malis conflictatus est. Unum erat infamia quædam (sed qua in re constitit, non scribitur); conjugii sui inusta; tanta quidem ea, ut ipsemet Princeps GABRIEL BETHLEN, a Saxopolitanis requisitus, etsi Désiio faveret; Superintendentem tamen Augustanæ Confessioni addictorum f. datis ad eum a. 1629. 4. Julii Litteris

f. Ne mirare, ad eum, diversa licet Confessionis Antistitem, Litteras Principem exarasse. Nam Saxopolitana, Thordasensis, Vizaknensis seu Salzburgergensis et Koborensis Ecclesia, Helveticam equidem sequuntur Augustanæ tamen Confessionis Super

## PROOEMIUM.

ris urserit, quod causa mulieris quam-  
 primum discuteretur, et quidquid jus  
 ac justitia in eam, atque maritum e-  
 jus Parochum, qui cum infamata habi-  
 taverit, dictabit, executioni mandave-  
 tur. Hoc malo quidem Dēsius se eno-  
 davit; sed tamen Cathedram Saxopo-  
 litanam cum Küküllövariensi, an. 1630.  
 vel 1631, commutare debuit: reperio enim  
 annis 1632. et 1633. Pastorem eum ibi-  
 dem fuisse. Malum alterum satis decla-  
 rat sequens Sententia; quam, uti propter  
 judicium in ea latum, perquam maxime  
 peculiarem, et Lectoribus futuram procul  
 dubio gratissimam, non possum non inte-  
 gram

Superintendentis jurisdictionem audiunt.  
 Cujus rei ratio est, quod dum in primordio Luthera-  
 no, ab Ecclesia Romana secessionem fecissent, Aug.  
 Confessioni subscripsere, et quia Politica Saxonum  
 Universitati, quae vix non tota ejusdem est Fidei, in Secula-  
 ribus (hodie tamen Vizakna, certa ex causa, nunc ad  
 evitandam prolixitatem reticenda, ad Albensem pertinet  
 Comitatum;) subsunt ac suberant: ejus auctoritate a suo  
 Superintendente in Spiritualibus quoque dependentes man-  
 runt. Ex adverso, Ecclesia Saxonum in Capitulis Tece et Sajo,  
 jurisdictioni Superintendentis Hebr. Conf. obsequuntur. Vid. Milko-  
via med Tom. II.



## PROOEMIUM.

gram hic subnectere; videlicet:

„Sententia Politica Universitatis Sa-  
 „xonum Transylvanorum Cibinii pronun-  
 „ciata, anno 1629. die vero 3. Decembr.

„Posteaquam Alma Universitas, parti-  
 „um ambarum litigantium, Reverendi  
 „Viri, Stephani Dési, Pastoris Ecclesie  
 „Zázvarasiensis I, ut Actoris, ab una; et  
 „Johannis Kampos, omnino De Zazva-  
 „ros, Incatti [id est, in Causam adtracti],  
 „parte ab altera, propositiones, allegatio-  
 „nes, attestationes, documentaque, satis diu,  
 „attentaque ruminasset, examinasset, venti-  
 „lassetque; habito etiam respectu debito  
 „Mandatoriarum Suae Serenitatis ad sese da-  
 „tarum; maturoque judicio premisso; tan-  
 „dem secundum Deum, et ejus justitiam,  
 „Sententiam modo sequente pronunciavit.

„Cum Incattus Johannes Kampos, Acto-  
 „rem Stephanum Dési, Pastorem anime  
 „sua,

I. Pro Százvarasiensis; eo enim anti-  
 „quioribusque temporibus, pro Sz, littera Z. se-  
 „pissime ponebatur.

## PROOEMIVM.

„sua, quem duplici honore venerari de-  
 „bebat, tribus criminalibus et enormibus  
 „calumniis prosciderit, famamque persone  
 „ejus honestam laeserit, Latronem eum, Fu-  
 „rem, et Diabolicum Pastorem appellans,  
 „et publice proclamans; quorum tamen nul-  
 „lum docere, nec testibus potuit comproba-  
 „re: debeat Actor, intra quindenam, corpo-  
 „rali suo juramento, coram suo competente  
 „Judice, sese de inusta infamia purgare;  
 „quod nempe a tempore illo, quo Conjux  
 „ejus tam turpiter diffamata est, nunquam  
 „eadem sua conjugii, matrimoniali vinculo  
 „cohabitaverit, vel se carnaliter commiscu-  
 „erit.

„Eo juramento solenniter prestito, tan-  
 „dem Sententia Universitatis executioni  
 „mandabitur, ita: ut Incattus Johannes  
 „Kampo, compedibus vinetus, in forum pu-  
 „blicum productus, statuatur supra cadum  
 „a mane usque ad meridiem. Ubi tandem

carnifex



## PROOEMIUM.

„carnifex forfice barbam ipsi et mysta-  
 „ces abscindat, ad mentum usque; tandem  
 „barba nudatus, ter manu os suum percu-  
 „tiat, aperta voce clamando: Se menti-  
 „tum esse omnia ea, quaecunque de Pasto-  
 „re suo, Stephano Dési, proclamaverat  
 „sparseratque in vulgus antehac. Demum  
 „per carnificem educitur ex Oppido, et ex  
 „tota illa Sede Zászvarosiensi ita relegen-  
 „tur, ut nunquam post hac audeat ad ea-  
 „dem territoria ingredi. Si vero in ambitu  
 „Oppidi et Sedis Zászvarosiensis alicubi  
 „comprehensus fuerit; vigore hujus Senten-  
 „tiae, lingua ipsi excindatur, ac tandem ple-  
 „ctatur capite. Actor etiam Stephanus  
 „Dési vigore mandati Serenissimi Princi-  
 „pis, post pretactam executionis quinde-  
 „nam causam contra suam conjugem, in  
 „Foro Ecclesiastico prosequatur.

„Hanc Sententiam parti petenti ex-  
 „tradimus, Anno et die, ut supra. Valen-  
 „--- Notarius. m. pr.

# PROOEMIUM.

## S. VII.

Ad extremum, si cuiquam quodere li-  
 bet: Cur ego, ad Helveticam juratus, circa  
 hanc diversam, ex Augustana nempe  
 derivatam Confessionem, exerceam labo-  
 rem! Reddam sincere rationem. Scili-  
 cet, cum horum initiorum, Fidem con-  
 cernentium tempore praesertim coarctari  
 apud Hungaros coeperunt maxima illa  
 tempestates, e quibus deinde saepe, im-  
 mo ferme continuo, totam Gentem In-  
 clytam, uno eodem sanguine dulcissimo  
 cretam, deploranda verum conversiones,  
 capitale odium, dira dissensiones, mutuae  
 rapinae, intestina bella, creventae occisiones,  
 et infinita mala, quae calamus horret  
 ex Historiis referre, miserandum in mo-  
 dum per longum tempus inundarunt, ac  
 fere deleverunt. Et haec omnia profecto  
 fuisse malorum maxima. Verum, sicut  
 est quandoque vel flere voluptas; et re-  
 perita arma, quibus sui olim Majores in-  
 teremti fuerunt; Posteris non sine luctu-



## PROOEMIUM.

oso equidem affectuum motu; sed simul  
 cum curiosa aliquali aviditate inspecta-  
 re avent: ita, quale ista etate initium,  
 qualesque progressus, qualia item impe-  
 dimenta habuerit Protestantium Re-  
 ligio; qualibus quantisque passibus in  
 primordio statim ab Ecclesia Romana  
 recessum sit; quibus præterea tempesta-  
 tibus vexata fuerit Hungaria; earum-  
 que origo num ex facta subito Religio-  
 num Diversitate; an etiam variis aliis  
 causis repetenda sit? Hæc investigare  
 ac cerneve, pertinent non ad concitan-  
 dum Religionis odium, sed cognitionem  
 historicam; qua bonus quisque Patria  
 Civis imbui obligatur. Dum ergo non  
 Theologiam polemnicam, sed Historiam  
 tracto: atque Notas, et amoenitates pa-  
 trias, selectiores ac variores, uti mihi  
 quidem videtur, passim insera, inseroive-  
 que præsertim Hungaria et Transilva-  
 nia Civibus adnitor: cur, amabq; id mihi  
 meæ, aut Romano-Catholicæ, vel alterius  
 cuiusque

# PROOEMIUM.

27.

cujusque Religionis Homo, si quid sapere vult, vitio daret? Optandum potius Bonis quibusque, votis ardentissimis, ut illucescat latissimus ille dies universo Christiano Orbi, Hungariaeque ac Transilvania, quo mutua illa caritate, cujus radii per nostri dvi persistas jamjam emicarunt, conjunctis omnibus Dei Electis, fiat unum Ovile, unusque Pastor, ad eternam Nominis Ejus gloriam, Amen !!!

## CAPVT I. DE LOCO CELEBRATIONIS SYNODI

### §. VIII.

In amplissimo Hungariae Regno, cujus Geographiam multi jam dederunt Viri Consummatissimi, duo, mihi saltem, occurrunt Oppida, nomine Erödöd insignita: unum in Comitatu Tolnensi, de quo nihil nunc habeo dicendum; alterum, idque cum Arce non ignobili, in  
Com.



## CAP. I. DE ILLO CO

Com. Szathmariensi, quod sedem Synodo prebuerat. De hoc igitur paucis hic agendum.

Oppidum mediocre, loco amoeno situm, nomen ERDÖD sono latino Erdödium h. ab Erdö, quod Hungaris Silvam valet, merito obtinuit: siquidem pedem  
montis

h. Lamye, cum celeberrimo Lexicographo, Beni. Hederico, forte propter defectum typorum lingua Hungarica aptorum, pro Erdöd, Erdödi, Erdödium, et Erdödiensis, habet passim Opere citato: Erdod, Erdodi, Erdodiam, Erdodiensis. Ut i etiam pag. 652. 653. Körös, Syongyos, Körmond, Közeg; loco: Körös, Syöngyös, Körmond, Közeg. Notari etiam velim, plurima nimium menda typographica in Lampeanam Historiam irrepisse, e.g. pag. 42. Agnensis, pag. 44. Dofam, p. 96. Szonyi, p. 623. Kösep, p. 248. Hilloseus, Dioszegiensis; pro: Agriensis, Dosam, Szonyi, Közép, Hilloseus, Dioszegiensis, ac innumera alia. Ut proinde si nova ejus editio aliquando adveniret; Hungaro certe typorum correctore opus est.

# CELEBRATIONIS SYNODI.

montis fagei occupet, docente Matthia  
Bél in Compendio Hungariae Geographico.  
 Hoc ab ipsa Urbe Szathmár, ad Damosium  
 fluvium sita, de qua Comitatus nomen ac-  
 cepit, cumque vicino Nemethi unam con-  
 flat Liberam ac Regiam Civitatem, tribus  
 milliariis recedit. Incolis Oppidi Hunga-  
 ris, atque Helveticae Confessioni addictis,  
 (si recte mihi relatum sit), discedere jus-  
 sis, l. successerunt iis Svedi Romanae Fidei,  
 agricolae laboriosissimi, et jam ibi satis pe-  
 cuniosi.

## S. IX.

Oppidum e colliculo despicit Arx  
 apte posita; non positu solum, sed etiam  
 munitione olim firmissima; cujus fun-  
 damenta posuerat BARTHOLOMAEVS  
DRAGFI, Transilvaniae Wajvoda non ulti-  
 mi nominis, a. 1481. in Octava Festi S. Ge-  
 orgii Martyris, l. eodemque anno coronat-  
 dem

i. Auditione accipi, hos ad montana Szathmari-  
 ensia habitationem transtulisse, ibique foro hebdomada-  
 li, et boario, diebus Veneris, uti antea Szab'dini, gaudere.  
l. Festum S. Georgii tunc temporis non vicesima quarta,  
 uti hodie, sed 23<sup>a</sup> Aprilis, celebrari consueverat, Fastis ve-  
 tustis testibus.



## CAP. I. DE LOCO

Dem operi imposuerat: quum circumcirca  
 muri altitudo 60, latitudo 30, propugna-  
 culorum item altitudo 80 ulnas equas-  
 sent. Subsequente vero 1482 anno, in Octa-  
 va Assumptionis B. M. Virginis, absolvit ibidem  
 Templum quoque Bartholomæus idem; qui  
 tandem vitam morte permutavit. L. Porro,  
 postquam Aux hæc seculo 16-to oppugna-  
 tionem

L. Hæc de ædificatione, et nonnulla  
 momenta de Drægfiis, habemus in Chro-  
 nologicis Consignationibus cujuspiam  
 Cudey enim eorum commotaverit, nondum  
 edoctus sum;) Drægfi, circa a. 1518, scri-  
 pto mandatis; quas Auctarii loco huic  
 Operi postremo adnectendas dignum exi-  
 stimo: et quidem memorillius Ciceroniani:  
in omni re optimum quodque rarissi-  
mum est; ob res apud nos maxime ra-  
 ras, et lectu jucundissimas. Ad itaque sunt  
 CONSIGNATIONES; que deinceps  
 aliquoties citabuntur.

# CELEBRATIONIS SYNODI.

31.

tionem Joannis Sigismundi Regis,  
Principis Transilvanica, diu pertulisset;  
tradita demum solo equata fuit. Hæc a-  
deoque pertinebat olim ad Inclytam  
Drágfibrum Prosapiam, quam clausit  
Casparus. Hujus denique viduam, An-  
nam Bãthori, postquam Georgius Bãtho-  
ri, Andree et Nicolai frater duxisset,  
Arcem quoque, cum amplissima Dynastia  
obtenuit. Devenit ad extremum in pos-  
sionem Magnificorum Comitum KAROLYI,  
qui Arcem restaurarunt, vel potius denuo  
erexerunt, duobus (ut accipi:) propugnacu-  
lis firmarunt, domibus ornarunt, vetustis-  
que novas Cellas vinarias adjunxerunt. Ar-  
ci ad Doream junctam vivarium Cervorum,  
Damarum, m. viget.

## CAP. II.

m. Vulgo apud nos Dama hunga-  
rice Oz audit; ast Oz nomine in Historia  
naturali recepto (ut videre est apud M. Lin-  
naum, aliosque) Cervus Capreolus vocatur.



## CAP. II. DE POSSESSORE LOC ATQUE SYNODI PATRONO

### §. X.

Arcis et adnexi domini Possessor  
tunc temporis ut S-pho VIII. meminimus,  
**CASPAR DRAGFI** de Béltek, n. ma-  
gni nominis Heros, erat. Natus ille fue-  
rat a. 1516. die Visitationis B.V. Mariæ,  
Patre **JOANNE**, Comitatum Szólnok Medi  
(vulgo Mediocris;) et de Kraszna, Comi-  
te Supremo Perpetuo, sive Hereditario;  
Matre Anna Váradi, quæ marito suo ex  
Aula Regis Hungariæ Ladislai, præsentè  
eodem Rege, filioque Ludovico, a. 1500. die  
S. Georgii Martyris, nupserat. vid. Consigna-  
tioned not. l. commemoratas. Habuit  
Caspas ex üsdem Parentibus, Sororem  
uterinam natu majorem Annam a. 1514.  
natam; Fratrem natu minorem Baltha-  
sarem, a. 1517. in lucem editum. loc. cit.

Noster vero Casparus, annos 13.  
(n. b:), natus, a. 1529. die S. Viti, duxit in  
uxor

n. Béltek non longe ab Erdöd Op-  
pido distat.

AD ALIENI SYMPODI PATRONO.

uxorem, filiam Stephani Bathori de Som-  
lyó, Wajvoda Transilvani nominatissimi;  
ex qua obtinuit a. 1542. Filium Georgium  
a. 1555. denatum; item a. 1544. Joannem,  
qui similiter improlis, nescio quoto anno,  
decessit, Illustrisq; suam Familiam clau-  
dit. Ipse Casparus, dum tricesimum a-  
geret Annum, 1546. die Conversionis S.  
Pauli Apostoli, qui dies Dominicus erat,  
mortalitatem explevit; tertioque postea die  
sepulturam, in maximo Conjugis, et plurimo-  
rum luctu, habuit. Vid. Consignation. not. l. citatas.

§. XI.

Sic itaque eximia apud Hungaros Drágfi-  
orum Familia, quam DRÁG, Vir Magnificus,  
circa annum 1383. Sicularum in Transil-  
vania Comes, atque in Hungaria Possessio-  
num Bustyaháza, Száldobos, Hofszu mező,  
Vajnok-háza, Taracz, His-Tétső, Nagy-Tétső,  
Talabor, cet. Dynastes opulentissimus (l. cit.)  
magno cum splendore inchoaverat, & penitus  
Defecit.

o. Eius, videlicet, nomini Drág adfixum est  
in suo filio H, quod uti etiam Fil, Hunga-  
ris Filium valet: atque ita factum est Drágfi;  
unde tandem tota posteritas hoc nomen induit.  
Non est itaque cur in eo littera F duplicetur,  
et infine pro i. y. fiatque Drágfy, uti multi  
scribunt



## CAP. II. DE POSSESSORE LOCI

Defecit.

Nam habuerat equidem Joannes praeter Casparum laudatum & atque Wolfgangum, Andream et Balthasarem, juvenilibus annis denatos; alium quoque filium, nomine Franciscum: sed hic illegitimo toro natus fuerat. Hunc tandem Joannes, auctoritate Leonis Decimi, Pontificis Maximi, a. 1521. pro legitimo quidem adoptaverat, Litteris solemnibus, ad calcem hujus Operis, in Auctario, sub Consignationibus (S. IX. not. L.) legendis; moxque heredem constituerat Castelli Cseh, in Silvania (Szilagy hung.) recenter a se erecti, ac Possessionum ad id pertinentium, lautarum ac copiosarum, Testamento mediante, quod a. 1526, die Bartholomaei condidit (legas infra in cit. Consign.), in Castris Ludovici Regis Hung., ad Mohats, ubi etiam cum eodem Rege, fatali

mox

scribunt. Et hoc profecto etiam de Im-  
reffy, Palyffy, Peterffy, sexcentisque aliis,  
apud Hungaros nominibus, censendum.

p. Qui Joannis nuptias, 26. antea annis, praesentia sua condecoraverat, §. 10.

ATQUE SYNODI PATRONO.

35.

mox occubuit: ¶ verum, dictum Franciscum quoque sine liberorum solatio de vita migrasse; vel saltem, si unquam in Matrimonio vixerit, non nisi sequioris sexus semen reliquisse, opinor. Sed redeamus ad Casparem.

§. XII.

Magnificus ac illust. Vir, CASPAR DRAGFI, in Fide Ecclesie Romanae natus et educatus; postquam Lutheri Dogmata in Hungariam pervolassent: opera Matthie Devai (qui Ungaricus Lutherus a suis appellabatur.) Andree Datizi, Demetrii Derecskei, aliorumque Collegarum, a. 1531. Augustanam Confessionem, ad exemplum Magnif. Petri Perényi, qui primus ex Magnatibus huic se addixit, palam amplexus est, factusque ejus Promotor maximus. Ille igitur iram Regis, et Episcoporum, qui frequentius ipsi interminabantur, non reformidans, in Oppidis suis, Erdöd, Ujhely ad Bodrog fluvium sito, locisque aliis, & uti etiam Valentinus, et Franciscus

¶ Vid. Hist. Wolffg. de Bethlen, ad hunc annum, et luctuosum casum.



## CAP. II. DE POSSESSORE LOCO

ciscus Török Debreczini, Petrus Petrovith  
Comes Comitatus Temesiensis, ac Praefectus  
Temesvariensis, hoc eodem loco) V. D.  
Ministris Aug. Confes. asylum praebuit,  
eosque omni ope juvit, et publice concio-  
nari s. jussit.

## §. XIII.

Cum autem pauci eodem adhuc tempore  
e Summatibus essent, qui vel hiscere in  
tanta

r. Hoc nomen Lampe pag. 96. Petro-  
vizi, nonnulli Petrus Viccius, plerique  
vero Petrovitsius <sup>+ scribunt:</sup> quorum auctoritate, tum  
ego scriptor novitius, facile deceptus, errorem  
eorum imitatus fui Transilvania mea Tom. I.  
§. CV; sed deinde certissime publicis ex Actis e-  
doctus, scribo integerrime: Petrus Petrovith  
De Szuraklin Sebastiano Tinodi, aliisque,  
in suis Rhythmis hungaricis, Petrui vocatur.

s. Vid. Lampe pag. 70. 72. 96. 97. 105. item Epis-  
tolam Nicolai Istvánsi, celeb. Historici, ad Pe-  
trum Pázmánum, apud clariss. Prayum,  
Hierarchie Part. II. pag. 216.

37.

# ATQUE SYNODI PATRONO.

tanta ve auderent <sup>t.</sup> videretque oculos omnium, ob summam ejus auctoritatem in se coniectos: locum Synodo præbet in Oppido Erdöd; ubi, crescente jam ministro- rum Numero, certa Confessionis Formula scriberetur; qua a secus sentientibus discriminentur.

## CAPVT III. DE MEMBRIS SYNODI.

### §. XIV.

Cogitur ergo Synodus Ministrorum Gene-  
ralis Erdödinum, tanquam præcipuum ac-  
tutissimum receptum; celebraturque magno  
Zelo in Arce Loci supra laudata. Synodo au-  
tem interfuerunt Ministri XXIX, quorum no-  
mina

t. In publicis enim Regni Comitibus, a.  
1524. Articulo LV. sequentem fuisse latam  
sciebant Sententiam: „Lutherani omnes e  
„Regno extirpentur; et ubicunque reperti fue-  
„rint, non solum per Ecclesiasticas, verum etiam  
„per Seculares Personas libere capiantur, et  
„comburantur.



## CAP. III. DE MEMBRIS SYNODI.

mina hæc sunt:

1. Stephanus Kópátsi, 2. Basilius Székely.
3. Joannes Kalotsai. 4. Demetrius Thordai.
5. Andreas Batizi. 6. Bernhardus Borvei. 7. Jacobus Thuri. 8. Georgius Vátzi. [non Vatsi, uti apud Lampeum:] 9. Stephanus Babótsai.
10. Nicolaus Gyulai. 11. Joannes Bátsmerei.
12. Basilius Ilosvai [haud Hosvai:] 13. Joannes Etsedi. 14. Ambrosius Tzeplédi. [nec Tzeplédi:]
15. Dominicus Batizi. 16. Mathæus Fel-Némethi.
17. Michael Tsehi. 18. Clemens Berkeszi. 19. Nicolaus Dévai. 20. Thomas Huszti. 21. Petrus Egri. 22. Martinus Dési. 23. Johannes Szakátsi [non Szakazi:] 24. Franciscus Mohi.
25. Michael Debreczeni. 26. Johannes Miskoltzi. [neque Miskoltzi:] 27. Johannes Lásoni. 28. Dominicus Szadai. 29. Laurentius Batizi.

## §. XV.

In his nominibus, ratione Orthographia, discrepare inter se videntur Pátsai et Lámpe; præsertim, quod hic litteris con-  
nexis ts, ille autem cs utatur; sed nulla dis-  
crepantia est; utraque siquidem uno profus ac

## CAP. III. DE MEMBRIS SYNODI.

ac eodem sono sicuti Germanorum *tseh*, enunciantur. Ipsi vero Ministri (quod probe notes) neutris harum suis in subscriptionibus, sed harum loco litteris *eh*, pro ejus sui scribendi modo, usi fuere. Et hæc est observatio, quæ apud Hungaros, innumeris in vocibus, scripto dudum mandatis, usum habere poterit. u.

## §. XVI.

Lectum est mihi non pridem scriptum Saxonis Transilvani, et quidem non incedenti, quo putat hanc Synodum constituisse Ministros, e suo Regno Hungaros: et Saxones e Transilvania: at Synodi membrum fuisse præter Hungaros neminem, ipsa produnt nomina omnium Hungarica; eorumque subscriptorum, ceu Hungarorum, res in patria sua gesta testantur luculentissime. x.

## §. XVII.

Porro, adfuerunt Synodo e statu seculari Nobiles per plurimi; quorum (uti certis e documentis didici) nulli inde discesserunt, nisi in Dogmatibus juxta Confessionem Augustanam promulgatis confirmati. Adfuit item, saltem pro spectaculo, ingenis Plebis multitudo.

u. Quod attinet ad menda typographica; ea §. XIII. si quo exclusionis [ ] notari. Felices illi Scriptores, qui typographis prope adhabitantes, propriis oculis manibusque labores suos ab ejusmodi sordibus purgandi occasione fruuntur. Quantumvis enim Auctores Librorum sua Scripta absolvant accuratissime: in plerisque nihilominus typographis, ab imperitis Typothetis, et non peritioribus Correctoribus, valde depravantur. Id in meis Operibus omnibus, cum primis vero editione Historiæ Ill. Wolffgangi de Bethlen, dolenter experiri cogor. Talia enim indocti Auctores tribuunt. Saxones Transilvani ut ut prius, quam Hungari, Lutheri instaurationem probant: ad hanc nihilominus Synodum, quia forte nec vocati fuerant, minus venerunt.



titudo. Opimamque et opiparam, sed tamen sobriam penitus ibi mensam, omnibus et singulis, qui ad Congregationem confluxerant, Ita tam per cunctos dies (qui quot fuerint, non reperio:) fuisse, e scheda quadam Andree Batizi didicimus.

## CAPVT IV. DE CONFESSIONE SYNODI. §. XVIII.

Hanc Confessionem inter deperdita Eruditos nostros censuisse, §-pho I. innuimus: hujus tamen Synopses ad manus habuerunt; posterisque laudati ibidem Triumviri Historici, Haner, Pappai, et Lampe transmiserunt. Nunc vero demum integram ipsam Confessionem, ut sequitur ad verbum, audiamus.

ARTICULUS

z. In his quoque Synopsibus, si corticem rei spectes, aliquantula se discrepantia offert; si vero rem ipsam censeas, penitus nulla: nisi quod apud Lampe eum, pag. 93. lin. 18. 19. pro Oratione Decora, legere debeas: Ordine Decoro.